ΣΥΓΧΑΡΜΑ VOTIVUM

In festivitatem Nuptiarum

VIRI

Insigni Pietate ac virtute, & eximia eruditione

REVERENDI

DN. SALOMONIS BLANCKII,

Concionatoris Evangelici in primariarum Prussiæ Regalis civitatum primâ, non è multis:

Juxtimq;

Castissimæ, lectissimæq; Virginis

ANNÆ BARTRAMIÆ

Quondam

Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimi

DN. MATTHIÆ BARTRAMI,


Inclyti Thorunii Burggrabii & PræConsulis gravissimi relictæ Filiæ

institutum

à

M. J. G.

Excudebat Michael Karnall, Anno 1649.



Quid pharetrate tuis tibi quæris Cypripor armis,
Arcum lunantes Tu, Genetruxq; trucem?
Sint procul illecebræ veſtræ, mellitaque verba,
Philtrorum omne genus, inſidiæq; procul.
Nil opus his Sponſis ope veſtra, iſtoq; paratu:
Conde Puer ceſtus, telaque cum pharetra.
Jllicia heic mores caſti, pietas, probitásque,
Jllæſusq; animi qui emicat ore pudor.
Et genus egregium, quod claret utroq; parente;
Forma ſtata: integra huic gratia, fama, decor.
Quid faciem referam? nihil hic niſi Virgine dignum,
Condocefacta domûs munia obire vigil.
Hæc, hæc æterni meritò ſunt faſcinum amoris,
Nulla Dioneis indiga præſtigijs,
Talis BLANKIADVM flos nunc tibi ducitur uxor,
Hanc Tibi nunc meritò fert Domiduca Venus.
Cujus ineſt animo Patrij candoris imago
Non careat nervis candor ut iſte ſuis.
Annon, ſi dandum quid ΑΗ'ΜΜΑΤΙ vocis, *ametur*
Jſte *bonis caſtus*, Cypridos igne carens
Infandæ: *Planus: dulcis*, prudenter amœnus,
Jnteger, & vera ſimplicitate bonus.
Aut, quod idem nomẽ fert; *Conſolans labium* illi:
Quam benè cum ſancto convenit officio?

Salomon Blankius ἀναγραμματισθεὶς

Salomon Blankius ἀναγρ.

Mori-

Moribus idq; Viri tam congruit, ut nihil æquè:
Sunt dona in promtu, res loquiturq; palam.
Jncrementa etiam ſpondet florentior ætas
Majora: ô ſtudijs JHOVA benigne fave!
Dotibus his cumulat ſtudia indefeſſa: Voluptas
Vna cui, libris incubuiſſe bonis.
Ergo quis invideat tibi ſortem hanc Sponſe Verende?
Quisve tibi dignæ, Sponſa venuſta, tuam?
Contigit illa tibi vinclis nunc juncta ſecundis,
Qualis Bruto olim Portia blanda ſuo.
Julia Pompeio quondam, Cornelia Graccho:
Eſto ea prôinde tuæ portio cara animæ.
Augeat iſta domum: neque enim Hæcce negabit amanti
Quæ bona cunq; Viro deſtinat alma Cypris.
Scilicet amplexus, & penduſa brachia collo,
Baſia blanda labris, omneque dulce ſuum.
Nec ſatîs eſt vixiſſe ſibi, ſua debita poſcit
Natura illecebris ingenioſa ſuis.
Quare nunc tetricæ valeant, cedantq́; Camœnæ,
Dentque locum Paphiæ ſeria cuncta Deæ.
Non illis hoc tempus eget, nec Pallas Amori
Convenit, & thalamis; ſat ſtudijsque datum.
Tempus id, heus, aliam poſcit ſolenne palæſtram.
Nempe vices rerum: & miſſio danda modò.
Jam poſſeſſa tenes felix, obnoxia voto
Quæ fuerant: ſors hæc perpetuanda venit.

Ergo

Ergo vovere meum eſt: duplicentur vota priora:
Jdem perficiat, qui benè cœpit opus.
Mollia fata fluant, regnet Concordia, paxq́;
Obſideat veſtros non moritura lares.
BLANKIADVM florens fundant in ſecula nomen,
Nati natorum, longaque poſteritas.
Donec in offenſis tandem, ſaturisque dierum,
Detur ad æterni ſcandere tecta poli.
Candida ubi puræ capient nova gaudia mentes,
Gaudia parta Tibi; gaudia parta Tuæ.

Fiat! Fiat!

Sic optabam ἐκ μυχοῦ φρενῶν

M. Jacobus Gerhardi

